



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 228. Quid sit affinitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

mò, quòd gentes plures etiam bene institutæ universaliter ista conjugia detestata non sint, cum plures ea sustinuerint teste Paleoto. *l. 2. de nobis filiis c. 3. à n. 2.* prout refertur in specie de quibusdam gentibus in provincia Peruana. Sed facile id diluitur testimoniis adductis paulò ante in contrarium; & quis neget gentes illas Peruanas fuisse barbaras? secundò quòd ab initio mundi talia conjugia licita fuerint. Ad quòd tamen etiam satis consequenter dicere videntur oppositæ sententiæ AA. nimirum admittendo, non esse eam reverentiam & sanguinis conjunctionem tantam, quanta est inter parentes & liberos; adeoque copulam inter illos non ad eò indecentem, quin ab auctore naturæ in tali casu necessitatis, qualis fuit ab initio mundi inter filios & filias Adæ ad genus humanum propagandum, permitti potuerit. Admittunt nihilominus adversarii, ut expressè Laym. *l. c. Pirh. n. 11.* propter has & similes rationes probabilium quoque esse oppositam sententiam, nempe quòd licet matrimonia inter fratres & sorores ex se sint indecentia & illicita, ac proinde jure naturæ prohibita, non tamen sint jure naturæ irrita; neque enim eo ipso, quòd aliquid jure naturæ sit illicitum, etiam eodem jure est irritum. Sic enim violare sine causa fidem alteri datam est jure naturæ illicitum, & tamen, si sponsus sine causa dissolvens sponsalia, frangat fidem datam sponsæ contrahendo cum alia matrimonio, hic contractus matrimonialis non est nullus, sed valet; quare prohibitio juris naturæ in eo fundata, quòd talis operatio dictanti ipso lumine rationis apud omnes gentes adversetur rationi naturali, non sufficit, ut etiam eo ipso sit irritum; sed tunc tandem, quando illud ipsum quoque intrinseco fini talis actus vel operis opponitur. Unde jam, si non obstante tali facto vel opere jure naturæ illicito, natura & finis matrimonii (qui est procreatio sobolis & remedium concupiscentiæ) illaesa permaneant, matrimonium quidem in eo casu erit illicitum, non tamen invalidum, ex quo tamen sequi videtur, æquè parum jure naturæ esse irritum matrimonium inter parentes & liberos; quia dictus finis matrimonii manet illæsus. Sic quoque probabile videtur, potuisse occasione illius, quòd ea matrimonia sub ini-

tium mundi erant licita & valida, propagato deinceps humano genere, apud gentes aliquas perseverare consuetudinem ea celebrandi. Quamvis autem ex probabilibus hac sententia sua Sanch. *d. 52. n. 12.* cum Veracruz. *2. p. spec. a. 12. concl. 2.* inferant, si ex gentibus, apud quas est consuetudo talia matrimonia celebrandi convertantur ad fidem, non esse tali conjugio conjunctos separandos; consultius tamen ait Laym. in re ad eò gravi esse consulere Pontificem.

Quæst. 227. An matrimonium in secundo cæterisque gradibus lineæ collateralis sit irritum jure naturæ.

REsp. Negativè cum Sanch. *l. c. n. 11.* Laym. *l. c. n. 4.* & communi; tamen enim turpe plerumque sit cum cognata contrahere matrimonium, naturâ dictante deberi illi reverentiam quandam, cui adversatur copula carnalis, ut Bellarm. *l. 1. de mat. c. 27. respons. ad 1. arg. & ex eo Laym. l. c.* quòd etiam spectasse videtur præceptum illud *Levit. c. 18. omnis homo ad proximam sanguinis non accedat, ut revelet illi turpitudinem ejus.* Adeoque jam indecens esse videatur, si passim istiusmodi matrimonia, maxime in gradibus propinquiorebus, instituantur sine urgente causa; non tamen jure naturæ ita sunt prohibita, multòque minus irrita, ut ob rationabilem causam, præsertim publica autoritate accedente, honestarum non possint. Probatur quoque idem à posteriore imprimis ex *c. gaudemus de divorciis.* ubi deciditur, infideles ad fidem conversos, si in secundo vel ulterioribus gradibus lineæ obliquæ contraxerint matrimonium, separandos non esse, cum constitutionibus canonicis non arctentur (vel potius, arctati non fuerint, dum infideles essent) separandi autem essent, si matrimonium in illis gradibus jure naturæ (quò & illi in infidelitate obligabantur) irritum est; dein in veteri testamento viri sancti in istis gradibus contraxerunt; Abraham duxit Saram fratris filiam, *Genes. 11.* Isaac Rebeccam consobrinam suam; & sic videmus passim Pontifices ex rationabili causa in his gradibus dispensare.

CAPUT II. De affinitate.

Quæst. 228. Quid sit affinitas.

REsp. Est propinquitatis personarum ex carnali copula proveniens; ita Theologi & utriusque Juris periti apud Sanch. *l. 7. d. 64. n. 1.* cum D. Thom. communiter recepto in *4. d. 41. q. unic. a. 1.* cum enim per copulam vir & mulier fiant una caro, consanguinei feminae redduntur affines viri in eo gradu, in quo sunt consanguinei feminae, & consanguinei viri sunt affines feminae in eo gradu, in quo sunt consanguinei viri, juxta quòd dicitur *c. fraternitatis. 35. q. 10.* ubi: *Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri.* Unde jam

Inferitur primò: Saltem verè & propriè dictam affinitatem non nasci ex matrimonio rato tantum, Castrop. *tr. 28. d. 4. p. 8 num. 3.* Sanch. *l. 7. d. 64. n. 25.* Gutt. *c. 99. n. 7.* Pirh. *b. e. n. 27.* juxta quòd definitivè Pius V. in Bulla edita *calend. Jul. 1568.* super declarat, Concil. Trid. de impediment, affinit.

quæ incipit, ad Romanam, quidquid velint aliqui apud Sanch. *l. c.* cum Sylv. *v. matrimonium. 8. q. 14. disto 2.* oriri ex tali matrimonio affinitatem quandam initialem, siquidem hoc ipsum est impedimentum publicæ honestatis. Inferitur secundò, quòd ex ipsa affinitate non nascatur affinitas alia; hinc licet consanguinei viri sint affines feminae ab eo carnaliter cognita, non tamen sunt affines consanguineorum feminae, & è contra; uti habetur expressè *c. super his. b. e.* quare si Titius cognovit Cajam, pater, filius, frater Titii non impediuntur contrahere cum matre, filia, sorore Cajæ.

Quæst. 229. Num affinitas nascatur ex copula fornicaria seu illicita.

REsp. primò: Nasci eam ex copula illicita, imprimis jure ecclesiastico certum est: *c. discretionem. de eo qui cognovit consang. uxor. sua.* patet etiam ex eo, quòd hoc jure expressè dicatur